

Bibliothèque numérique

medic@

**Laubry, Jacques-Ambroise - candidat
/ Geoffroi, Etienne-Louis - président. -
An in omni haemorrhagiâ
adstringentia intus nociva ?**

1788.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi. viâ dictâ
du Fouarre***

Cote : ms 2337a n°154



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXXVIII.*


M. STEPHANO-LUDOVICO GEOFFROI, Equite,
Regi à Confiliis & Secretis, Doctore Medico, Præsîde.

An in omni hæmorrhagiâ adstringentia intùs nociva ?

I.

TANTUS est medicamentorum è triplici regno tum minerali, tum vegetabili, tum animali depromptorum supellex, ut propter hunc immensum fere numerum, nec diligentissimus ad singulorum peculiarem cognitionem attingere

A



queat. Præterea, nihil difficilius, nihil arduum magis; quam veras & sinceras cujusque medicamenti proprietates, virtutes, & modum in corpore agendi penitus detegere & assignare. Hinc haud inconsulte asseri potest, non tam laborandum superesse Medico ac desudandum, ut nova, invelliget, detegat componat-ve remedia, quam ut ex tam immensâ mole & inconcinnâ farragine medicamentorum, quibus ars salutaris referta & quasi oppressa obruitur, hæc eligat, quorum facultates viresque indubiâ experientiâ penitus clariùsque cognitæ habeat & perspectas; ut & variorum quibus fragilis mortalium vita continuo obsidetur, morborum historias, causas, genuinamque indolem sedulo perscrutetur & probe cognoscat. Tunc potens erit Clinicus ea afferre, & in usum proponere, quæ morbo & ægrotantis constitutioni apprimè congruant. Num hæc cuncta tam varia, tam composita medicamenta, quibus tot pharmacopolia referta sunt & onusta, virtutibus, facultatibusque gaudeant? quæ illis à veteribus, nostræ-ve ætatis Medicis tribuuntur. Nonne per plurima, non solum inutilia, sed potius noxia evadunt, his ipsis in morbis, quibus curandis tollendis-ve plerumque commendantur. Quot etenim, à multis rei medicæ Scriptoribus, huic vel isto morbo, seu specifica, quam maximè jactata, quorum effectus efficaciam eis adscriptæ minimè respondeant? Quot quorum efficaciam non solum dubia, sed & planè nulla quotidie, attentiori observatione detegitur? Quædam nostræ assertionis probationi accedant exempla. Quid etenim expectandum esset, de usu pulveris hyacynthi, granati, saphiri & aliorum lapidum pretiosorum, quos inter non dubiæ virtutis remedia veteres Medici consecraverant, & quos e medicamentorum numero & compositione peritior saniorque doctrina delevit. Quid ab innumeris aliis substantiis? Quæ nisi noxia, saltem futilia à Medicis integræ doctrinæ existimantur. Quid verbi gratiâ statuendum, de valerianâ, à multis, adversus affectus epilepticos, tanquam mirâ virtute gaudente tantoperè laudatâ? Vir cui fides adhibenda, in re medicâ peritus, hanc stirpem, centum epilepsiâ tentatis, sub omni formâ, ex diversis regionibus pepitam administravit; attamen vix uno ex ægrotantium numero, vel levissimum attulit levamen; hinc nonne rectè concludendum, illius virtutem antiepilepticam pro nulla computari posse? Quid de cicuiâ, à Doct. Storch, adversus cancerum, tantoperè decantatâ? Si fides hujusce Medici experimentis adhiberetur, nullum certè remedium evidentiori ad cancerum sanandum virtute polleret. At interrogentur varia & repetita apud nos de hocce medicamento experimenta; istius plantæ variis præparationibus adhibitis, vel etiam ex vendebonâ allatis nullum hocce malo tentatum adhuc reipâ sanatum fuisse constat. Sic per plurima ad hanc sententiam confirmandam afferri possent. Non tantummodo inter tot medicamenta, quibus variæ materiæ medicæ constantur, perplura, efficaciam & dotibus eis adscriptis minimè pollent, sed & non perpauca, virtute donantur & facultate omnino contrariâ indoli & genio morborum, in quibus sæpè sapiùs præscribuntur. Talia nobis videntur adstringentia; frequentissimus est illorum usus in hæmorrhagiis: consideratis verò & attentè perpenſis hæmorrhagiarum causis & symptomatibus; illorum usus, nedum proficuum, quàm maximè noxius esse invictè patebit. Ut nostræ propositionis veritas demonstretur, nobis exponendum venit, hæmorrhagiarum in genere causas, varias species, indicationes implendas, adstringentium rationem agendi physi-

cam in œconomiâ animali, & effectus quos in corpore hæc medicamenta producere reipsa valent.

I I.

PER hæmorrhagiam intelligunt Medici sanguinis fluxum à qualibet parte fluentis: crebro è naribus, bronchiis, ventriculo & intestinis sanguis erumpit; sic & è genitalibus utriusque sexûs, è vasis hæmorrhoidalibus & cæteris vasis varicosis, è dentium alveolis, è vulneribus recentibus, & etiam ex ulceribus: aliquando ex aliis partibus, sed rarius & parcius. Sanioris doctrinæ Medici, duplex hæmorrhagiarum genus agnoscunt; etenim si ritè & sedulò perpendantur variæ circumstantiæ in quibus se produnt hæmorrhagiæ, variaque illarum phœnomena & symptomata; rectè, ni fallimur, hæmorrhagiæ in passivas & in activas secerni possunt. Hæmorrhagia passiva dicitur, quæ à causâ externâ, vel à debilitate nervosâ & relaxatione, nullâ comitante pyrexia, accelerato minimè sanguinis motu, vel pulsu, merè pendet. Verbi gratiâ, à mechanicâ venæ aut arteriæ alicujus sectione & apertura, ne auctâ quidem actione vasorum ex quibus sanguis erumpit. Hæmorrhagia activa illa est, quæ à causâ internâ progignitur; id est à rarefactione & turgescentiâ sanguinis concomitante pyrexia, accelerato motu sanguinis & pulsu; à congestione in aliquâ parte, à fluxione sanguinis versus partem aliquam determinatam, à conversione motûs sanguinis ab extra ad intus, ab inæqualitate circulationis. Hæc etenim eveniunt, quando quædam corporis partes præsertim extremæ & à corde remotiores, intensiori fibrarum strictione & contractione, ita angustantur, ut sanguis per venas ad cor redire nequeat, resistentiâ jamjam crescente, in ratione appulsûs sanguinis sub quâque cordis systole, sanguis ruber intromittitur in vasa, quæ tantummodo antea admittebant lymphaticum humorem, illorum parietes plus justò distendit, tandemque aperiuntur extremitates, sanguinemque fundunt. Has esse veras hæmorrhagiarum causas compertum habebimus, si varia symptomata & phœnomena, quæ illas antecedere solent, perpendere sedulò libeat. Priusquam etenim appareat hæmorrhagia, varia sese produnt motûs febrilis indicia, varia plethoræ, congestionis & tensionis signa, circa partes ex quibus fluendus est sanguis: videlicet illud obvium observandum venit, in cujuscunque generis hæmorrhagiis, tam salutaribus sive criticis, quam pernicialibus, sive symptomaticis. Antequam verò menstrualis in foeminis & hæmorrhoidalis in viris effusio sanguinis prodeat; nonne inferiora refrigescunt, cutis constringitur, in dorso circa pubem & sacrum percipitur dolor, artus lassantur, genæ gracilescent pallentque, demum pulsus intenditur, tunc fluit sanguis. Sic & ante è naribus stillicidium, extremæ & inferiores partes quoque frigent, facies verò rubet, tumet, temporum vasa intensius saliunt, gravativo dolore tentatur caput, aucto & accelerato arteriarum pulsu, sanguis stillat. Hæmoptysim porrò nonnunquam, antecedunt & extremarum partium, præsertim pedum frigus, lassitudo, flatus in abdomine, alvi adstrictio, pectoris oppressio, respiratio difficilis, rigor totius corporis. Ipse vomitus cruentus & nigri cruoris per anum secessus, necnon mictus cruentus, nunquam accidunt, nisi præcesserint, in abdomine spasmi, circa dorsum dolor, constipatio, cum cutis & exter-

A 2

narum partium refrigeratione & detumescentiâ, arteriis citatius duriusque ad tactum micantibus. Quamquam hæmorrhagiæ plethoricos & sanguineâ temperie donatos aliquando invadant, & præcipuè caput exerant verno tempore vel incipiente æstate; tamen causa proxima cujuscumque hæmorrhagiæ, attentè pensitatis variis symptomatibus illas vel præcedentibus, vel concomitantibus, non videtur esse nimia copia boni, consistentis, fibrosi & purpureo colore donati sanguinis: ne ab illâ quidem generali & sincerâ plethorâ, hæmorrhagiæ produci possunt. Hi etenim in quibus existit hæc plethorâ, fibrosum, robustum corpus habent. Solidâ & tenaci texturâ vasa prædita sunt, difficilè cedunt & extenduntur; validè resistunt, & nunquam nisi à causâ externâ disrumpuntur: præterea constat observatione illos homines rarissimè pati sanguinis excretiones. Si quidem à solâ plethorâ generali & sincerâ producerentur hæmorrhagiæ; effluxâ ingenti sanguinis copiâ, minutâ consequenter plethorâ sponte desineret hæmorrhagia. Attamen id plerumque non sic evenit: adhibitis interdum pluribus sanguinis missionibus, sæpè sæpius recrudescit sanguinis effluxio: rectè igitur aliæ hæmorrhagiis causæ assignantur. Alia quoque præter illas de quibus supra dictum est, causa hæmorrhagiarum, cadaverum sectione detegitur; in vasorum obstructione, in viscerum infarctu & induratione, quæ liberiori sanguinis cursui obices ponunt: in hoc casu id evenit, quod observamus in machinis hydraulicis, obstructis quibusdam canalibus, fluidum per reliquos canales liberos majori impetu & celeritate erumpit: sic in corpore nostro, quando per venas cujusdam partis spasmo strictas vel obstructas, non liberè transire & versus cor deferri potest sanguis; vis & impetus eum impellens crescit resistentiâ, in ramis & ramusculis arteriosis, qui citò ita distenduntur, ut sanguini erumpenti liberam præbeant portam.

I I I.

NON solum symptomata varia, & phænomena, quæ varias hæmorrhagiarum concomitantur species, invictè probant, illas potius produci, à spasmo, à stricturis quarundam partium spasmodicis, ab infarctu, & obstructione, à fluxione sanguinis versus quasdam corporis partes; quam à verâ & sincerâ plethorâ; sed id quoque confirmatur effectibus, quos quædam remedia, in pluribus casibus adhibita produxere. Legitur etenim apud Forestum, observat. 14, lib. 13, hæmorrhagiam è naribus, quæ adhibitis incassum omnis generis remediis minimè sifteretur; applicatis verò cucurbitis supra duos pedes, dictum mirum præter spem sistatam fuisse. In hoc casu certè hæmorrhagia nequaquam ortum ducebat à nimia sanguinis copiâ, sed à spasmo, quo sanguinis fluxio versus partes superiores determinata erat: soluto autem spasmo cucurbitarum applicatione, sistata fuit. Hujus generis observatio legitur apud Zacutum Lusitanum, lib. 1. Praxis admir. observat. 66. refert se ipsum desperatam hæmorrhagiam nullisque remediis cedentem, appposito cauterio adusli in utraq; plantâ pedum, cohibuisse. Alio asserit hocce remedium similem habuisse successum, in magnâ sanguinis excretionem per os: omnibus remediis & adstringentibus quidem parti frustra admotis, cauterio actuali in eadem parte pedis indito, fluxus sanguinis omnino cessavit.

Ex his quæ exposuimus de naturâ cujuscunque hæmorrhagiæ, de causis variis & de symptomatibus, illas comitantibus, curatoria facillimæ eruantur indicationes. In eo potissimum versantur ut ea adhibeantur remedia, quæ geminas morbi causas tollere & extirpare, vel saltem debilitare valeant.

Hæmorrhagia, à spasmo, à constrictione totius systematis vasculosi pendeat; sistendus spasmus solutioque determinanda. A fluxione versus aliquam partem; sanguis à parte versus quam sit fluxio derivendus & alio adducendus: à congestione, ab obstructione vel infarctu; congestio solvenda, obstructions & infarctus remediis accomodatis referendi & tollendi. A plethorâ vel generali vel locali; medio congruo minuenda. Has-ne verò indicationes implere valent adstringentia? Minime quidem; probè cognito pensitatoque modo, quo agunt in œconomia animalâ, nulum nisi, hisce indicationibus omnino contrarium, & quam maximè nocuum producere queunt effectum. Medicamenta enim quæ virtute adstringente donantur, duplici modo vim suam in corpore viventi exercere intelliguntur, intus sumpta, vim suam exerunt vel in solida, vel in fluida, vel in utraque simul. Primo quidem effectum præstant in membranis, oris, œsophagi, ventriculi, tubique intestinalis: appositione immediatâ particularum substantiæ adstringentis, fibrillæ irritantur, punguntur, constringuntur, decurtantur, diameter vasorum minuitur. Pendeat tunc hæmorrhagia vel à plethorâ, vel à fluxione spasmo ortâ, vel ab obstructione: vi adstringentium assumptorum constrictio textu vasculoso partium in quibus agunt, spasmus major fit, plethora relativè augetur, sanguis ex parte in quâ existit remediî actio, versus aliam partem præsertim debiliorem propellitur congestione auctâ, fluxio ad modum crescit vel augmentum sumere debet. Si supponis è contrâ adstringentia potius in fluida, quam in solidâ immediatè operari. Vis eorum Chemica, est fluida animalia extra corpus inspissare & cogere. Vix aliter agunt in œconomia animalî; inspissant chylum, lympham coagulant; dumque migrant in sanguinem ipsi demunt fluiditatem; vitalibus secretoriis & excretoriis motibus quam maximè adversa sunt; fluxilesque humores inspissando, ad circuitum per minima vasa ineptos & ad stagnationem aptissimos reddunt; ideò viscera abdominis ad obstructions disponunt, & sub hoc respectu ad procreandos longos gravesque morbos magnam vim & potentiam habent. Acida etenim quæ maximam vim adstringentem obtinent, ipsam excretionem alvinam retardant, quod indubia docet experientia. Hinc rectè Hippocrates, lib. de diætâ. acetum alvum potius sistere quàm movere pronuntiat. Si illa sit actio adstringentium in corpore, nullum superest dubium quin effectum quam maximè nocuum, intus sumpta præstent in hæmorrhagiis; varia scilicet corporis fluida coagulando in vasis, motui circulatorio obices obicibus, præsertim capillaribus addunt, ita, ut si sistatur hæmorrhagia, morbum hæmorrhagiæ pejorem luctuosioremq; promoveant. Ortum ducat hæmorrhagia, à causâ externâ, à rupturâ vel sectione alicujus venæ aut arteriæ, vel à debilitate nervosâ vel à relaxatione: nequaquam adhiberi rectè possunt adstringentia interna. Ex his quæ modò suprâ exposuimus, satis abundè patet, fore ut eorum actione hæmorrhagia potius incrementumumat, quam cohibeatur. Constrictio enim intus systemate vasculoso & membranoso, fit plethora in ratione constrictionis, sanguis ex intus ad extus versus partem ubi minor adest resistentia urgetur, unde nova sanguinis fluxus causa.

UT verò nostræ propositionis veritas exemplis illustretur & remaneat inconcussa, huc accedant duæ hæmorrhagiarum species, in quibus haud infrequentur largâ manu exhibentur adstringentia. Hæmoptysis scilicet & uteri hæmorrhagia. Accuratissimè hæmoptyseos causæ & symptomata perpendantur, ab illius curatione omninò exulari debere adstringentia palam fiet. Illa sanguinis excretio ferè nunquam à merâ simplici plethorâ excitatur. Causa verò immediata sive proxima videtur esse inæqualis & impeditus sanguinis per vasa transitus, dum majori copiâ & impetu in arteriam pulmonalem ejusque ramulos affluit, quam venæ pulmonales eum recipere & ad cor reddere possunt, ita ut fiat tennium vasorum, quæ substantiam cellularem vascularemque & ipsa bronchia perrepant, tensio & intumescencia; denique vel transudatio vel apertura, vel violenta ruptio. Illud uberius confirmatur à signis & symptomatibus hunc morbum, antecedentibus & concomitantibus. Invadit illud malum per vices & quasi per paroxysmòs revertitur; conqueruntur ægri de horripilatione in cute, & in extremis præsertim pedibus, refrigeratione; vasa in manibus disparent, dolor in dorso, lassitudo & gravitas artuum afficit ægrum, alvus stricta, in pectore gravativus doloris sensus cum spirandi difficultate percipitur. Quid enim hæc omnia indicant, nisi spasmodicam externarum partium stricturam, & sanguinis versus partes interiores majoraque vasa repulsionem, ubi plus justo coacervatur. Istæ tam internarum quam externarum partium constrictiones à spasmò oriæ, efficiunt inæqualem & impeditam sanguinis distributionem, unde illius impetuofus cursus & appulsus ad alia loca, præsertim versus pulmones, ubi minor datur resistentia, ob substantiæ pulmonalis laxiorem debilioremque contextum. Potest equidem pariter circuitus & distributio sanguinis inæqualis reddi, orgasmò, turgescentiâ, seu nimia rarefactione sanguinis intra canales, quibus systaltica & elastica vasorum vis minuitur aut demitur; unde congelitio & stagnatio sanguinis in vasis textu laxiori contextis; atqui in nullâ aliâ parte quam in pulmonibus datur textus laxior. Nihil igitur mirum quod hæmoptysis tam frequens observetur, apud hypochondriacâ passione laborantes, necnon pathematibus hysterics obnoxias foemineas, in quibus ut plurimum, mensium fluxus sub multis & atrocibus spasmis difficulter succedit. Variis quoque observationibus compertum habemus, quod infarctò vel obstructo aliquo viscere sanguineo, præsertim liene caput exerat hæmoptysis. Etenim intercepto alicubi sanguinis per vasa transitu, ubi minor datur resistentia majori copiâ confluit. Præterea corporis structura & ipsa disponit ad hæmoptysim. Quibus corpus gracile, collum longum, pectus angustum simulque depressum; fibræ tenuiores & laxiores, vasa debilia, una cum is qui à parentibus phthisicis progeniti: hi plerumque sanguinis fluxum patiuntur. Cum his causis concurrunt & sanguinis ipsius copia, si nimia sit; & acris constitutio, à calore enim corporis humani rarefiunt fluida in ratione majori quam solida relaxantur, unde turgescencia, extensio. A frigore intenso corporis superficies constringitur, sanguisque ad interiora compulsus, in pulmonum canalibus majori copiâ accumulatus, ea facile perrumpit vel transudat. Illis hæmoptyseos causis apprimè cognitis & sedulò perpensis, minimè quidem ad illas tollendas minuendas-ve virtute & facultate donari

adstringentia apud quemcunque manifestum erit, quia imò illorum usus has jam exsistentes causas adaugere vel potius excitare valet; vel si eà dosi præscribuntur, & ita textum vascularem & cellularem, fibras, vasa constringunt, vel varia fluida præsertim sanguinem spissant & cogunt, ut sanguinis fluxus sistatur, in gravius lethaliusque malum ægrotantem demittunt. Inspissato enim sanguine vel constrictis vasorum apertorum extremitatibus ita ut oriatur immeabilitas & sanguis fluere jam nequeat: sanguinis à tergo irruentis resistentiâ major fit impetus, distentio augetur, majori irritatione crescit calor, febris excandescit, insurrectâ inflammatione suppuratio succedit. Quot equidem miseri ægri hæmoptysi simplici laborantes, ab improvise adstringentium usu, inter phthilicos dolores, tædia, cruciatus, horas trahunt miserrimas, sensimque sese in orcum delabi conspiciunt?

V.

QUID in uteri hæmorrhagiâ boni conferre valent adstringentia? possunt-ne tuto exhiberi? Quando hæc hæmorrhagia à copiosiori sanguinis ad uterum per arterias affluxu, inæquali vero & impedito per venas ad cor refluxu pendet; tunc enim coacervatur in vasis uteri, in totum systema vasculare perfunditur, nimium vasa distenduntur, relaxantur-ve, dehiscunt tandem & sanguinem elabi sinunt, interdum magnâ vi profundunt. Quid ab illorum usu emolumenti expectandum? Quando à plethorâ locali, vel, si vis, generali ita exuberante, ut non solum vasa interna deducat, sed & planè dilaceret. Quid? quando à congestione ipsius uteri vel à relaxatione debilitateque nervosâ fovetur. Nonne actione adstringentium in quocunque casu malum gravius fieret? Potior-ne ea adhibendi adest ratio, quando uteri hæmorrhagia ab activâ planè causâ proficiscitur? A spasmodicis partium vasculosarum nervosarumque stricturis & contractionibus, quæ ad uterum majori copiâ sanguinem urgent; ut satis abundè patet, conspeditis & attentè consideratis, quæ ut plurimum illam præcedunt & comitantur. Tensione scilicet & hypochondriorum inflatione, circa lumbos & dorsum dolore gravativo, sæpe cum sensu frigoris juncto, horripilationibus, colicis doloribus, extremarum partium refrigeratione, capitis dolore intenso, pulsu citiori & stridiori cum interiorum ardore. Securius-ne & cum majori ægrotantis emolumento adhiberentur quando; iste sanguinis fluxus pro causâ agnoscit; infarctum, congestionem in aliquo viscere, vel in ipsius uteri substantiâ; carnosas massas in utero genitas & adherentes, quibus pars uteri correspondens, ita comprimitur, vel continnò irritatur, ut inde oriatur fluxio & tandem sanguinis fluxus foveatur. Hasce causas tollere vel minuere nequaquam valent adstringentia. Quia sæpius exacerbatum fuisse adstringentibus hunc fluxum sanguinis, compertum est. Quot equidem fœminæ, ab illorum improvise & immoderatiore usu, in immanes, chronicosque morbos, cachexiam, scilicet, hydropem, lentam & hecticam febrem, in perpetuum ex utero lymphæ acris stillicidium, in ulcus, in skirrum & uteri cancerum præcipitatas fuisse, sanâ docuit observatio.

Quæ de hæmoptysi & de uteri hæmorrhagiâ diximus, de aliâ quâcunque hæmorrhagiâ asseri possunt. Quando quidem ab iisdem & similibus causis omnes ortum ducant. At, inquires, acida, quæ ut ipse fateris insigni virtute adstringente donan-

tur, quotidie tamen à Medicis præclaræ doctrinæ in quibusdam hæmorrhagiis cum eventu feliciori exhibentur. Sane quidem, non iniicias ibo: sed illud tantum dici potest, de hæmorrhagiis à dissolutione sanguinis scorbuticâ, vel alia quacunque procreatis. In hoc verò casu, non tanquam adstringentia, sed tanquam alterantia præscribuntur. Acidorum enim virtute crasis sanguinis restituitur, vim suam tonicam fibræ & vasa recuperant, & sanguis fluere definit.

Aliquot etiam à Medicis, non intimæ doctrinæ observationes allatæ, nostræ propositionis veritatem infringere videntur. Hisce observationibus reip̃a, hæmorrhagias sumptis adstringentibus continuò cessavisse constat. At nonne istæ hæmorrhagiæ nullo assumpto remedio sponte desinissent; sicut haud infrequenter observatum habetis. Vel si vi adstringentis sumpti revera cohibitæ fuerunt: nonne hæmorrhagiâ pejus & gravius ortum est malum? At saltem tutò & cum emolumento extus applicari possunt adstringentia. Vix eorum usus in hæmorrhagiâ omninò passivâ admitti potest; in activis verò nequaquam. Non tantummodò causas hæmorrhagiæ tollere vel minuere nequeunt, sed è contra sistendo sanguinem, congestionem, distensionem in parte, versus quam fit fluxio, augerent. Observatum est quod, hæmorrhagia narium, linimentis, dissolutione vitrioli albi imbutis, & in nares introductis, cohibita quidem fuerit; sed omnes faciei venæ admodum intumuerunt, comitantibus anxietate aliisque symptomatibus; gravis capitis dolor incescit, per os irruit sanguis, neque hæc omnia symptomata disparuere, quin sanguis de novo per nares effluerit. Ex his supra expositis invictè inducimur ad concludendum:

Ergo in omni hæmorrhagiâ adstringentia intus nociva.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Henricus-Hercules CHAM-
PAGNE DU FRESNAY.*

M. Sthephanus CROCHET.

*M. Joannes-Stanislaus MITTIE,
Regiæ Scientiarum & Litterarum
Nanceii Acad. Socius,
necnon Stanislai I, Polonia-
rum Regis olim Medicus ordi-
narius.*

*M. Petrus LASERVOLLE, Chi-
rurgiæ latino idiomate Profes-
sor designatus in annos 1788-
89, Seren. Atrebatum Prin-
cipis Medicus Consiliarius.*

*M. Claudius-Ludovicus BER-
THOLLET, Academiæ Regiæ
Scientiarum Socius.*

*M. Carolus-Ludov.-Franciscus
ANDRY.*

*M. Paul.-Augustinus-Olivarius
MAHON DE HOUSSAY,
Chirurgiæ, Gallico idiomate
Professor, in annos 1788-89,
designatus.*

M. Joannes THERY.

*M. Joannes-Baptista Alexander
MAIGRET.*

Proponebat Parisiis JACOBUS - AMBROSIVS LAUBRY, Rhemus, Doctor
Rhemenfis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,
Theseos Auctor.

A. R. S. H. 1788. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi,
viâ dictâ du Fouarre, 1788.

